

Discite a me quia mitis sum et humilis corde et inuenietis requiem animabus vestris (Matt. xi. 29)

FERIA VI. POST OCTAV. SS. CORPORIS CHRISTI.

Sacratissimi Cordis D. N. J. C.

Duplex primae classis.

Vesperae dicuntur de Octava SS. Corporis Christi sine ulla Commem. Sed si Officium SS. Cordis Jesu transferatur, tunc

IN I. VESPERIS.

Omnia dicuntur ut in ij. Vesperis, 460. praeter sequentia.

℟. Ignem veni mittere in terram. ℞. Et quid volo, nisi ut accendantur?

Ad Magnificat, Añā Impropérium exspectávit Cor meum, et misériam : et sustinui qui simul contristarétur, et non fuit; et qui consolarétur, et non invéni.

Oratio.

Concède quaesumus omnipotens Deus : ut qui in sanctissimo dilécti Filii tui Corde gloriántes, praecipua in nos caritátis ejus beneficia recólimus, eórum páriter et actu delectémur et fructu. Per eúndem Dóminum.

AD MATUTINUM.

Invit. Christum pro nobis passum, * Veníte adorémus. Ps. Veníte. 2.

Hymnus.

EN ut superba críminum

Et saeva nostrórum cohors

Cor sauciávit innocens Meréntis haud tale Dei!

Vibrántis hastam militis Peccáta nostra dírigunt, Ferrúmque dirae cúspidis Mortále crimen ácuit.

Ex Corde scisso Ecclésia Christo jugáta nascitur : Hoc óstium arcae in látere est

Genti ad salutem pósitum.

Ex hoc perénnis grátia, Ceu septifórmis flúvius, Stolas ut illic sórdidas Lavémus Agni in sánguine.

Turpe est redire ad crímina,

Quae Cor beátum lácerent :

Sed æmulémur córdibus Flammas amoris índices.

Hoc Christe nobis, hoc Pater,

Hoc sancte dona Spíritus, Quibus potéstas,

Regnúmque in saeculo est Amen.

In I. Nocturno.

Añā. Quid est homo quia magnificas eum, aut quid appónis erga eum cor tuum?

Psalmi trium Nocturn. ut in Festis B. M. V. [194]

Añā. Meditatio cordis mei in conspéctu tuo semper.

Añā. Elevámini portæ æternáles, et introíbit Rex glóriæ.

℣. Dómine dabis pacem nobis. **℟.** Omnia enim ópera nostra operátus es nobis.

De Isaia Prophéta.

Lectio j. Cap. xij.



Onfitébor tibi Dómine, quóniam irátus es mihi : convérsus est furor tuus, et consolátus es me. Ecce Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo : quia fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salútem. Hauriétis aquas in gáudio de fónitibus Salvátoris : et dicétis in die illa : Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus : notas fácite in pópulis adinventiões ejus : mementóte quóniam excélsus est nomen ejus. Cantáte Dómino quóniam magnífice fecit :

annuntiáte hoc in univér-
sa terra. Exsúlta, et lauda
habitátio Sion : quia ma-
gnus in médio tui sanctus
Israel.

℟. Ego sum panis vitæ :
patres vestri manducavé-
runt manna in desérto, et
mórtui sunt : * Hic est
panis de cœlo descéndens,
ut si quis ex ipso mandú-
cet, non moriátur. **℣.** Ego
sum panis vivus, qui de
cœlo descénde : si quis
manducáverit ex hoc
pane, vivet in ætérnum.
— Hic.

Lectio ij. Cap. xxvj.

IN die illa cantábitur
canticum istud in ter-
ra Juda : Urbs fortitúdinis
nostræ Sion salvátor, po-
nétur in ea murus et ante-
murále. Aperíte portas,
et ingrediátur gens justa,
custódiens veritátem. Ve-
tus error ábiit : servábis
pacem : pacem, quia in te
sperávimus. Sperástis in
Dómino in sæculis ætér-
nis, in Dómino Deo forti
in perpétuum. Quia incur-
vábbit habitántes in excé-
lso, civitátem sublímem
humiliábbit. Humiliábbit
eam usque ad terram.

℟. Ecce vídimuseum non
habéntem spéciem, neque
decórem : aspéctus ejus

in eo non est : hic peccáta
nostra portávit, et pro no-
bis dolet : ipse autem vul-
nerátus est propter iniqui-
tátes nostras, * Cujus livó-
re sanáti sumus. **℣.** Vere
languóres nostros ipse tu-
lit, et dolóres nostros ipse
portávit. — Cujus livóre.

Lectio iij.

Semita justi recta est,
rectus callis justi ad
ambulándum. Et in sémita
judiciórum tuórum Dómi-
ne sustinúimus te : nomen
tuum, et memoriále tuum
in desidério animæ. Anima
mea desiderávit te in no-
cte : sed et spíritu meo in
præcórdiis meis de mane
vigilábo ad te. Cum féce-
ris judícia tua in terra, ju-
stítiam discent habitató-
res orbis.

℟. Benedictus Dóminus
Deus Israel, qui facit mi-
rabília magna solus, * Et
benedíctum nomen maje-
státis ejus in ætérnum.
℣. Replébitur majestáte
ejus omnis terra, fiat, fiat.
— Et. Glória Patri. Et.

In II. Nocturno.

Añā. Afferéntur in læti-
tia et exsultatióne, addu-
céntur in templum Regis.

Añā. Sanctificávit ta-
bernáculum suum Altís-
simus.

Añā. Sicut lætántium
ómnium habitátio est in
te.

℣. Convérsus est furor
tuus. **℟.** Et consolátus es
me.

De Sermóne sancti Ber-
nárdi Abbátis.

Serm. iij. de Passione.

Lectio ib.

Uia semel vénimus
ad Cor dulcíssim-
um Jesu, et bo-
num est nos hic esse, ne
sinámus nos fácte avélli
ab eo, de quo scriptum
est : Recedéntes a te, in
terra scribéntur. Quid au-
tem accedéntes? Tu ipse
doces nos. Tu dixisti ac-
cedéntibus ad te : Gaudé-
te, quia nómina vestra
scripta sunt in cœlo. Ac-
cedámus ergo ad te, et
exsultábimus, et lætábi-
mur in te, mémores Cor-
dis tui. O quam bonum et
quam jucúndum habitáre
in Corde hoc! Quin pótius
dabo ómnia, omnes cogi-
tatiões et afféctus mentis
commutábo, jactans omne
cogitátum meum in Cor
Dómini Jesu, et sine fallá-
cia illud me enútriet.

℟. Qui mandúcat meam
carnem, et bibit meum
sánguinem, * In me ma-
net, et ego in eo. **℣.** Non

est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. — In me.

Lectio v.

AD hoc templum, ad hæc Sancta sanctorum, ad hanc Arcam Testamenti adorabo, et laudabo nomen Domini, dicens cum David: Inveni cor meum, ut orem Deum meum. Et ego inveni Cor regis, fratris, et amici benigni Jesu. Et numquid non adorabo? Hoc igitur Corde tuo, et meo, dulcissime Jesu, invento, orabo te Deum meum: admittetantum in sacrarium exauditionis tuæ preces meas, imo me totum trahe in Cor tuum. O omnium pulchritudine speciosissime Jesu: amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me: ut purificatus per te, ad te purissimum possim accedere, et in Corde tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare, et ut videre simul, et facere tuam valeam voluntatem.

R. Sicut ovis ad occisionem ductus est, et dum male tractaretur, non aperuit os suum: traditus est ad mortem, * Ut vivificá-

ret populum suum. *V.* Tradidit in mortem animam suam, et inter sceleratos reputatus est. — Ut.

Lectio vj.

AD hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo, et in te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus. Nihilominus et propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum corpus, verum etiam ipsum Cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligit? Quis tam amans non redamet? Quis tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc in corpore manentes, quantum possumus, amemus, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum, cujus impii agricolæ foderunt manus et pedes, latus et Cor: stemusque, ut cor nostrum, durum adhuc et impeni-

constringere, et jáculo vulnerare dignetur. Quam caritatem Christi patientis et pro generis humani redemptione morientis, atque in suæ mortis commemorationem instituents sacramentum corporis et sanguinis sui, ut fideles sub sanctissimi Cordis simbolo devotius ac ferventius recolant, ejusdemque fructus uberius percipiant, Clemens decimus tertius ipsius sacratissimi Cordis festum nonnullis Ecclesiis celebrare concessit, Pius nonus ad universam extendit Ecclesiam, ac denique summus Pontifex Leo decimus tertius, orbis catholici votis obsecundans, ad ritum duplicis primæ classis evexit.

R. Magnus Dominus et laudabilis nimis: * Et sapientiae ejus non est numerus. *V.* Magnus Dominus, et magna virtus ejus, et sapientiae ejus non est finis. — Et sapientiae. Gloria Patri. Et sapientiae.

In III. Nocturno.

Añã. Annuntiáte de die in diem salutáre ejus.

Añã. Adoráte eum omnes Angeli ejus: audivit, et lætata est Sion.

Añã. Vidérunt omnes términi terræ salutáre Dei nostri.

V. Ex Sion species decoris ejus. *R.* Deus noster manifeste veniet.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio vij. Cap. xix. f

IN illo tempore: Judæi, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tract. cxx. in Joann.

Latus militum lancea ejus aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed, aperuit; ut illic quodammodo vitæ ostium panderetur, unde sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam, quæ vera vita est, non intratur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutáre temperat pocu-

lum; hæc et lavácrum præstat, et potum. Hoc prænuntiábat, quod Noe in látere arcæ óstium fácere jussus est, quo intrarent animália, quæ non erant dilúvio peritúra, quibus præfigurabátur Ecclésia.

R. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem : * Et qui manducat me, vivet propter me. **V.** Cibávit illum Dóminus pane vitæ et intellectus. — Et.

De Homilía sancti Joánnis Chrysóstomi.

Homilia lxxxiv.

Lectio viij.

Vides quanti sit veritas? Per ea quæ Judæi faciunt prophetia implétur; alia enim ex hoc manifestata est. Venérunt ergo milites, et aliorum fregérunt crura, non Christi; sed ad Judæorum gratiam conciliandam, latus ejus lancea aperuerunt, et mórtuo adhuc insúltant. O péssimam voluntátem, ac scelestissimam! Noli tamen perturbári, o dilectissime: quæ enim malo illi ánimo patrárunt, veritati consentiebant. Prophetia hinc impléta est, inquiens: Vidébunt in

quem transfixérunt. Neque hoc tantum, sed non creditúris fuit fidei argumentum, ut Thomæ, et qui cum eo erant. Ad hæc et arcánum mystérium confirmátum est; exivit enim sanguis et aqua. Non casu et simplicitér hi fontes scaturierunt, sed quóniam ex ambóbus Ecclésia constituta est.

R. Recéssit Pastor noster, fons aquæ vivæ, ad cujustransítum sol obscurátus est: * Portas mortis, et seras páriter Salvátor noster dirúpit. **V.** Destrúxit quidem claustra inférni, et subvértit poténtias diabóli. — Portas. Glória Patri. Portas.

De Homilía sancti Bonaventúre Episcopi.

Libro de ligno vitæ.

Lectio ix.

Porro ut de látere Christi dormiéntis formáretur Ecclésia, divina est ordinatióne indúltum, ut unus militum lancea latus sacrum illud aperiendo perfóderet, quatenus sanguine cum aqua manánte pretium effunderétur nostræ salutis, quod a fonte scilicet Cordis arcáno profúsum, vim daret sacraméntis Ecclésiæ ad vi-

tam grátie conferendam, essétque jam in Christo viventibus poculum fontis vivi, saliéntis in vitam ætérnam. Surge igitur ánima amíca Christi, vigiláre non cesses, ibi os appóne ut háurias aquas de fóntibus Salvátoris.

Te Deum laudamus. 18.

AD LAUDES,

et per Horas, Añæ.

1. Discite a me * quia mitis sum, et húmilis corde.

2. Sanctificávi * locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempitérnum, et permáneant óculi mei, et cor meum ibi cunctis diébus.

3. Et dixi: * Ergo sine causa justificávi cor meum, et lavi inter innocéntes manus meas, et fui flagellátus tota die.

4. Secúndum multitudinem dolórum meórum in corde meo, consolatiónes tuæ lætificavérunt animam meam.

5. Pone me * ut signáculum super cor tuum: ut signáculum super bráchium tuum.

Capitulum. Isaiaë xij.

Ecce Deus Salvátor meus, fiduciáliter agam, et non timébo: quia

fortitúdo mea, et laus mea Dóminus, et factus est mihi in salutem. Hauriétis aquas in gáudio de fóntibus Salvátoris.

Hymnus.

COR, arca legem cón-

tinens
Non servitútis véteris,
Sed grátie, sed vénia,
Sed et misericórdia.

Cor, sanctuárium novi
Intemerátum fœderis,
Templum vetústo sán-

ctius,
Velúmque scisso útilius.

Te vulnerátum caritas
Ictu paténti vóluit,
Amóris invisibilis
Ut venerémur vúlnera.

Hoc sub amóris symbolo
Passus cruénta, et my-

stica,
Utrúmque sacrificium
Christus Sacérdos obtulit.
Quis non amántem réda-

met?
Quis non redémptus díli-

gat,
Et corde in isto séligat
Ætérna tabernácula?

Decus Parénti, et Fílio,
Sanctóque sit Spíritui,
Quibus potéstas, glória,
Regnúmque in omne est
sæculum. Amen.

V. Vere languóres nostros ipse tulit. **R.** Et dolóres nostros ipse portávit.

Ad Bened. Aña. Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scélera nostra : disciplina pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

Oratio.

Concède quæsumus omnipotens Deus : ut qui in sanctíssimo dilécti Filii tui Corde gloriántes, præcípua in nos caritátis ejus beneficia recólimus, eórum páriter et actu delectémur et fructu. Per eúmdem Dóminum.

Ad Primam in *℟. br. V.* Qui passus es pro nobis.

AD TERTIAM.

Capit. Ecce Deus. ut supra. 459.

*℟. br. Vere, ** Languóres nostros ipse tulit. Vere. *V.* Et dolóres nostros ipse portávit. Languóres. Glória Patri. Vere.

V. Pósuit fines tuos pacem. *℟.* Et ádipe fruménti sátiat te.

AD SEXTAM.

Capitulum. Isaia: xij. b

Dicéti in die illa : Confitémini Dómino, et invocáte nomen ejus : et mementóte quóniam excélsus est nomen ejus.

*℟. br. Pósuit, ** Fines tuos pacem. Pósuit. *V.* Et

ádipe fruménti sátiat te. Fines. Glória Patri. Pósuit. *V.* Dirupísti Dómine víncula mea. *℟.* Tibi sacrificábo hóstiam laudis.

AD NONAM.

Capitulum. Isaia: xij. b

Cantáte Dómino quóniam magnifice fecit : annuntiáte hoc in univér-
sa terra. Exsúlta et lauda habitátio Sion, quia magnus in médio tui Sanctus Israel.

*℟. br. Dirupísti Dómine, ** Víncula mea. Dirupísti. *V.* Tibi sacrificábo hóstiam laudis. Víncula mea. Glória Patri. Dirupísti.

V. Erit Dóminus nominátus in signum ætérnum. *℟.* Quod non auferétur.

IN II. VESPERIS.

Añæ et Capitulum de Laudibus. 459.

Psalmi ut in j. Vesp. Festi Corporis Christi. 195.

Hymnus.

Auctor beáte sæculi, Christe Redémptor ómnium, Lumen Patris de lúmine, Deúsque verus de Deo. Amor coégit te tuus Mortále corpus súmeré, Ut novus Adam rédderes, Quod vetus ille abstúlerat

Ille amor almus ártifex Terræ, marisque, et siderum, Erráta patrum miserans, Et nostra rumpens víncula.

Non corde discédát tuo Vis illa amóris ínclýti : Hoc fonte gentes háuriant Remissionis grátiam.

Percússum ad hoc est lancea,
Passúmque ad hoc est vulnere,
Ut nos laváret sórdibus Unda fluénte, et sángine.

Decus Parénti, et Fílio, Sanctóque sit Spiritui,
Quibus potéstas, glória, Regnúmque in omne est sæculum. Amen.

V. Hauriétis aquas in gáudio. *℟.* De fóntibus Salvatóris.

Ad Magnif. Aña. Ad Jesum autém cum venissent, ut vidérunt eum jam mórtuum, non fregérunt ejus crura : sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exívit sanguis, et aqua.

Festa Junii.

Prima die non impedita dicitur Officium Defunctorum. [224]

DIE II. JUNII.

SS. Marcellini, Petri, atque Erasmi Martyrum.

Ad Vesp. Aña. Istórum est enim regnum cœlórum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni. *V.* Lætámini.

Oratio.


DEus, qui nos ánnua beatórum Mártyrum tuórum Marcellini, Petri, atque Erasmi solemnitate lætíficas : præsta quæsumus, ut quorum gaudemus méritis, accendámur exémples. Per Dóminum nostrum.

Lectio ij.

Etrus exorcísta, Diocletiano imperatore, Romæ a Séréno júdice propter cristiánæ fidei confessiónem missus in cárcerem, Paulinam, Artémii, qui cárceri præerat, filiam a dæmone agitátam liberávit. Quo facto et paréntes puellæ cum tota família, et vicinos, qui ad rei novitatem concurrerant, Jesu Christo conciliátos ad Marcellinum Presbyterum addúxit, a quo omnes baptizáti sunt. Quod ubi rescivit

Serénus, Petrum et Marcellinum ad se vocatos aspérius objúrgat, et ad verbórum acerbitátem minas ac terróres adjúngit, nisi Christo renúntient. Cui cum Marcellinus christiána libertáte responderet; pugnis contúsum, et a Petro sejúntum, nudum inclúdit in cárcerem stratum vitri fragméntis, sine cibo ac sine lúmine. Petrum item constringi ímperat arctísimis vinculis. Sed cum utríque ex torméntis fides et ánimus crésceret, cóntánti confessióne, et abscisso cápíte, illústre testimoniúm Jesu Christo dederunt.

Lectio iij.

 Rasmus Episcopus, imperatoribus Diocletiano et Maximiano, in Campánia plumbatis et fústibus caesus, resina quoque, sulphure, plumbo liquefacto, et ferventi pice, cera, oleoque perfusus, inde tamen integer et inviolatus evasit. Quo miraculo multi se ad Christi fidem converterunt. Verum is iterum detrusus in cárcerem, constrictus ferreis gravissimisque vinculis, inde ab

Angelo mirabiliter ereptus est. Deinde Formis a Maximiano variis affectus supplicii, tunicaque aerea candenti indutus, illa etiam tormenta divina virtute superavit. Denique plurimis et in fide confirmatis, et ad fidem conversis, insignem martyrii palmam adeptus est. Te Deum laudamus.

Ad Laudes, Añã. Vestri capilli capitis omnes numerati sunt: nolite timere: multis passeribus meliores estis vos.

✠. Exsultabunt.

DIE IV. JUNII.

S. Francisci Caracciolo
Confessoris. Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non Pontif. [97] praefer sequentia.

Oratio.

DEUS, qui beatum Franciscum novi ordinis institutorem, orandi studio, et poenitentiae amore decorasti: da famulis tuis in ejus imitatione ita proficere, ut semper orantes, et corpus in servitum redigentes, ad caelestem gloriam pervenire mereantur. Per Dominum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio ib.



Ranciscus, dictus antea Ascanius, ex nobili familia Caracciolo in oppido sanctae Mariae de Villa in Aprutio ortus, a primis annis eximio enituit pietatis cultu. Adolescens graviter aegrotans statuit sese prorsus Dei, proximique mancipare servitio. Neapolim profectus, sacerdotio initiatus, sacroque ascriptus sodalicio, contemplationi, lucrandisque animabus se totum devovit, ac extremo supplicio damnatis hortatorem se praebeuit assiduam. Contingit autem, ut epistolium alteri destinatum ei per errorem redderetur, quo a piissimis viris Joanne Augustino Adorno, et Fabricio Caracciolo ad novi religiosi instituti fundationem vocabatur. Rei novitate captus, et divinae voluntatis demiratus consilia, alacri animo sese illis adjunxit. Conditis autem in Camaldulensium eremo, quo secesserant, novi ordinis legibus, inde Romam simul profecti, confirmationem a Sixto quinto impetrarunt, qui

eisdem clericis regulares Minores appellari voluit, addito ad tria consueta altero de non ambiendis dignitatibus voto.

✠. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam. ✠. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio v.

SOLÉMNI emissa professione, ob singulari ejus in divum Franciscum Assisinate cultum, Francisci nomen assumpsit. Adorno biennio post vita functo, ipse toti religioni, quamquam invitus praeficitur, quo in munere virtutum omnium praecleara praebeuit exempla. Instituti amplificandi studiosissimus, id assiduis orationibus, lacrymis, et jugi corporis maceratione enixe a Deo postulabat. Quamobrem tertio in Hispaniam se contulit peregrini habitu indutus, victumque ostiatim mendicans. In itinere asperissima quaeque perpessus, Omnipotentis auxilium mirum in modum expertus. na-

vim, quam conscēderat, ab imminēti naufrāgio oratiōnis præsīdio servāvit incolumem. Ut in regnis illis voti compos fieret, plurimum laborāvit; sed ejus sanctitātis fama praelucēte, amplissimāque catholicōrum regum Philippi secūndi, et Philippi tertiū munificētia, adversariōrum conātibus singulāri ānī fortitudīne superātis, plura sui ordīnis domicīlia fundāvit: quod pari evēntu per Itāliam præsītit.

✠ Amāvit eum Dōminus, et ornāvit eum: stolam glōriæ induit eum, * Et ad portas paradīsi coronāvit eum. ✎ Induit eum Dōminus lorīcam fidei, et ornāvit eum. — Et.

Lectio vj.

Humilitate ādeo excēl-
luit, ut Romam vēniens in pāuperum hospītio recēptus se leprōso sociāverit; et ecclesiāstīcas dignitātes a Paulo quinto sibi oblātas constantissime recusāverit. Illibātam perpētuo servāvit virginitatem, effrontēsque mulieres ejus castimōniæ insidiāntes Christo lucrificēcit. Erga divinissimum Eucharistiæ mysterium

ardēti æstuans amōre, noctes pene ītegras in ejus adoratiōne insōmnes ducēbat: quod pium exercitium veltuti sui ordīnis tēsseram in eo perpētuo servāndum constituit. Deīparæ Virgīnis cultum impēse fovit. In prōximum exīmia exārsit caritate. Prophetiæ dono, et cōrdium scrutatiōne ditātus fuit. Quadragēsimum quartum ætātis suæ annum agens, dum in sacra Lauretāna æde in oratiōne persisteret, sibi vitæ finem imminere cognōvit. Aprūtium statim deslēxit, et in oppīdo Agnōni apud alūmnos sancti Philippi Nērii lethālī febre corrēptus, sacramētis Ecclēsiæ devotissime susceptis, pridie Nonas Jūniī anni millēsīmi sexcentēsīmi octāvī, in pervigilio festi Cōrporis Christi, placidissime obdormīvit in Dōmino. Sacrum ejus corpus Neāpolim delātum, in ecclēsia sanctæ Mariæ Majoris, ubi prima sui ordīnis jecerat fundamēta, honorifice cōnditum fuit. Eum pōstea mirāculis clarum Clemens decimusquārtus Pōntifex māximus solēnni ritu inter

Beātos: Pius vero septimus Pōntifex māximus novis fulgētem signis, anno millēsīmo octingentēsīmo septīmo, Sanctōrum albo ascīpsit. ✠ Iste. [105]

In iij. Noct. Homil. Sancti Evangelīi. de Comm. [108]
Vesp. a Capit. de seq.

DIE V. JUNII.

S. Bonifatii

Episc. et Mart. Duplex.

Omnia de Comm. unius
Mart. [29] præter seq.

Oratio.

DEus, qui multitudinē populōrum beāti Bonifatii Mārtyris tui atque Pontificis zelo, ad agnitiōnem tui nōminis vocāre dignātus es: concēde propitiū, ut cujus solēnnia cōlimus, etiam patrocīnia sentiāmus. Per Dñm.

Fit Commemor. præced.

Antiphona. Hic vir despiciens mundum et terrēna, triūmphans, divitias cœlo cōdidit ore, manu. ✎ Justum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio I.



Onifātius āntea Winfrīdus appellātus, apud Anglos natus est exeūnte sæculo septīmo, et ab ipsa infā-

tia mundum a versātus, vitam monāsticā in votis hābuit. Cum ejus pater ānimum sæculi illēcebris permutāre frustra tentāset, monastērium ingredītur, et sub beāti Wolphārdi disciplīna omnium virtūtum, ac scientiārum genere imbūitur. Annum agens trigēsimum sacerdotio insignītur, ac verbi divini prædicātor assīduus, magno animārum lucro hoc in mūnere versātus. Attamen regnum Christi ad augere desiderans, continuo flebat ingēntem multitudinē barbarōrum, qui ignorāntiæ tēnebris immērsi dæmoni famulābantur. Qui quidem animārum zelus cum in dies inextinguibili ardore accresceret, divīno nūmine per lacrymas et oratiōnes explorāto, facultatem a monastērii præposito obtinuit ad Germānicas oras proficiscēdi.

✠ Honēstum fecit illum Dōminus, et custodīvit eum ab inimicis, et a seductōribus tutāvit illum: * Et dedit illi claritatem ætērnā. ✎ Descenditque cum illo in fōveam: et in vinculis non derelīquit eum. — Et dedit.

Lectio v.

EX Anglia duobus cum sociis navem solvens, Dorestadium in Frisiae oppidum venit. Cum autem bellum gravissimum inter Frisonum regem Radbodum, et Carolum Martellum exarsisset, sine fructu Evangelium predicavit: quapropter in Angliam reversus, ad suum rediit monasterium, cui invitatus praeficitur: post elapsam biennium ex consensu Episcopi Vintoniensis munus abdicavit, et Romam profectus est, ut apostolica auctoritate ad Gentilium conversionem delegaretur. Cum ad Urbem pervenisset, a Gregorio secundo benigne excipitur, pro Winfrido Bonifatius a Pontifice nominatur. In Germaniam directus, Thuringiae Saxoniaeque populis Christum annuntiavit. Cum interea Radbodus Frisiae rex ac infestissimus christiani nominis hostis occubuisset, Bonifatius ad Frisones rediit, ubi sancti Willibrordi socius per triennium tanto cum fructu Evangelium predicavit, ut destructis idolorum simulacris,

innumerae vero Deo ecclesiae excitarentur.

R. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. **V.** Quoniam praeveneristi eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. — Et.

Lectio vi.

A Sancto Willibrordo ad episcopale munus expetitus, illud detrectavit ut promptius infidelium salutis instaret. In Germaniam profectus plura Hassorum millia a daemone superstitione avocavit. A Gregorio Pontifice Romam evocatus, post insignem fidei professionem Episcopus consecratur. Exinde ad Germanos rediit, Hassiam, et Thuringiam ab idololatriae reliquiis penitus expurgavit. Tanta propter merita Bonifatius a Gregorio tertio ad dignitatem archiepiscopalem evahitur, et tertio Romam profectus a summo Pontifice sedis apostolicae legatus constituitur, qua insignitus auctoritate quatuor episcopatus instituit, et varias synodos celebravit, inter

quas concilium Leptinense memorabile est apud Belgas in Cameracensi diocesi celebratum, quo quidem tempore ad fidem in Belgio adaugendam egregie contulit. A Zacharia Papa creatus Moguntinus Archiepiscopus, ipso Pontifice jubente Pipinum in regem Francorum unxit. Post mortem sancti Willibrordi Ultrajectensem Ecclesiam gubernandam suscepit, primo per Eobanum, deinde per seipsum dum ab Ecclesia Moguntina absolutus, Ultrajecti resedit. Frisonibus ad idololatriam relapsis, Evangelium predicare rursus aggredditur, cumque officio pastorali occuparetur, a barbaris et impiis hominibus juxta Bornam fluvium cum Eobano Coepiscopo, multisque aliis cruenta caede peremptus martyrii palma condecoratur. Corpus sancti Bonifatii Moguntiam translatum, et, ut ipse vivens petierat, in Fuldensi monasterio, quod exstruxerat, reconditum fuit, ubi multis miraculis inclaruit. Pius autem nomen Pontifex maximus, ejus Officium et Missam

ad universam Ecclesiam extendit.

R. Stola. [37]

In III. Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

*Lectio vij.**Cap. v.*

IN illo tempore: Videns Jesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus. Et reliqua.

De Homilia sancti Augustini Episcopi.

Lib. i. de Serm. Domini in monte, cap. ij. et iij.



BEATI mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Quam ergo stulti sunt, qui Deum istis exterioribus oculis quaerunt, cum corde videatur, sicut alibi scriptum est: Et in simplicitate cordis quaerite illum. Hoc est enim mundum cor, quod est simplex cor. Et quemadmodum lumen hoc videri non potest, nisi oculis mundis: ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud, quo videri potest. Beati pacifici: quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. In pace perfectio est, ubi nihil repugnat: et ideo filii Dei pacifici, quoniam nihil in his resistit

Deo, et útique filii similitudinem patris habere debent.

R. Coróna áurea super caput ejus, * Expressa signo sanctitátis, glória honoris, et opus fortitudinis.

V. Quóniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in cápite ejus corónam de lápide pretioso. — Expres- sa signo.

Lectio viij.

Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, et subji- cientes ratióni, id est, menti et spirítui, carnalésque concupiscéntias habentes edómitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordi- nata ómnia, ut id quod est in hómine præcipuum et excéllens, hoc ímperet céteris non reluctántibus, quæ sunt nobis bestiisque commúnia: atque id ipsum, quod excéllit in hómine, id est, mens et ratió, sub- jiciátur potióri, quod est ipsa véritas, unigénitus Filius Dei. Neque enim imperáre inferióribus potest, nisi superiori se ipse subjiciat. Et hæc est pax, quæ datur in terra homi- nibus bonæ voluntátis :

hæc vita consummáti per- fectique sapiéntis.

R. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nómine sanguí- nem suum fudit : * Qui minas júdicum non tímuit, nec terrænæ digni- tátis glóriam quæsivit, sed ad cœlestia regna pervé- nit. **V.** Justum deduxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. — Qui minas. Glória Patri. Qui minas.

Lectio ix.

DE hujusmodi regno pacatissimo et ordi- natissimo missus est foras princeps hujus sæculi, qui perversis inordinatisque dominátur. Hac pace intrínsecus constitúta atque firmáta, quascúmque per- secutiónes ille, qui foras missus est, forínsecus concitáverit, auget glóriam quæ secúndum Deum est ; non áliquid in illo ædificio labefáctans, sed deficién- tibus máchinis suis inno- téscere fáciens, quanta firmitas intus exstrúcta sit. Ideo séquitur : Beáti, qui persecutiónem patiún- tur propter justítiam: quóniam ipsórum est regnum cœlórum.

Te Deum. 18.

Vesp. a Capit. de seq.

DIE VI. JUNII.

S. Norberti

Episc. et Conf. Duplex.

Omnia de Comm. Conf.

Pont. [70] præter seq.

Oratio.

DEus, qui beátum Nor- bértum Confessórem tuum atque Pontíficem, verbi tui præcónem exímium effecisti, et per eum Ecclésiám tuam nova prole fecundásti: præsta quæsumus, ut ejúsdem suffragántibus méritis, quod ore simul et ópere dócuit, te adjuvánte exercere valeámus. Per Dóminum.

Commem. præced. Aña.

Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. **V.** Justus.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio ib.



Orbértus, nobilís- simis paréntibus natus, adolescens liberalibus disciplinis eru- dítus, in ipsa póstea impe- ratóris aula, spretis mundi illécebris, ecclesiásticæ militiæ ascribi vóluit. Sacris initiátus, rejéctis móllibus ac spléndidis vé- stibus, pellicea melóte

indútus, prædicatióni ver- bi Dei se totum dedit. Abdicátis ecclesiásticis provéntibus satis amplis, et património in páuperes erogáto, semel in die sub vésperam solo cibo Qua- dragesimáli utens, nudis- que pédibus, et lácera veste sub brumáli rigóre incédens, miræ austeritá- tis vitam est aggréssus. Potens ígitur ópere et sermóne innúmeros hæré- ticos ad fidem, peccatóres ad pœniténtiam, dissiden- tes ad pacem, et concór- diam revocávit.

R. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Ni- hil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

CUM Laudúni esset, ab Episcopo rogátus, ne a sua diocési discéderet, désertum in ea locum, qui Præmonstrátus dicebá- tur, sibi delégit ; ibique trédecim sóciis aggregá- tis, Præmonstrátensem ór- dinem instituit, divíni- tus accépta per visum régula a sancto Augu- stino. Cum vero ejus fama sanctitátis in dies magis

augeretur, ac plúrimi ad eum quotidie discipuli convenirent, idem ordo ab Honorio secúndo, aliisque summis Pontificibus confirmátus, ac plúribus ab eo monastéris ædificátis, mirífice propagátus est.

R. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliábitur ei. **V.** Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

ANtuéripam accersitus, in ea urbe Tanchelini nefáriam hæresim profligávit. Prophético spíritu, et miráculis cláruit. Archiepiscopus tandem (licet relúctans) Magdeburgénsis creátus, ecclesiásticam disciplinam, præsertim cœlibátum, constánter propugnávit. Rhemis in concilio Innocéntium secúndum egrégie adjúvit, et Romam cum aliis Episcopis proféctus, schisma Petri Leonis compréssit. Postrémo vir Dei méritis, et Spíritu sancto plenus, Magdebúrgi obdormívit in Dómino, anno salutis millésimo centésimo tri-

gésimo quarto, die sexta Júnii. **R.** Iste est. [78]

In iij. Nocturno, Homilia.
Lectio sancti Evangelii,
de eodem Communi. [81]

DIE IX. JUNII.

SS. Primi et Feliciani Martyrum.

Ad Vesperas, Aña. Istórum est enim regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

V. Lætámini.

Oratio.

FAC nos, quæsumus Dómine, sanctorum Mátyrum tuorum Primi et Feliciani semper festa sectári : quorum suffrágiis protectionis tuæ dona sentiámus. Per Dóminum.

Lectio ij.

Rimus et Felicianus fratres, in persecutione Diocletiani et Maximiani accusati christianæ religionis, in vincula conjiciuntur : quibus solúti, inde eripiuntur ab Angelo. Mox ad prætorem addúcti, cum christianam fidem acerrime tuerentur, alter ab áltero distrácti sunt : ac primum varie tentáta est constán-

tia Feliciani. Sed cum suasóres impietatis se posse quidquam verbis proficere desperarent, affixis stípmánibus ejus et pédibus, ipsum sine cibo et potu inde trídium pendéntem reliquerunt. Postrídie ejus diéi prætor vocátum ad se Primum sic affátur : Vides, quanto sit prudéntior, quam tu, frater tuus, qui obsecútus imperatóribus, apud ipsos est honorátus? Quem si tu quoque imitári volúeris, párticeps eris ejus honoris et grátiae.

R. Hæc est vera fraternitas. [61]

Lectio iij.

CUI Primus : Quid factum sit fratri meo, cognóvi ex Angelo. Utinam quemádmódum sum cum eo voluntáte conjunctíssimus, sic ab eodem ne martyrio disjúngar. Quo dicto excánduit prætor, et ad céteros cruciátus, quibus Primum affécit, præsenté jam Feliciano, liquátum igne plumbum in os ejus jussit infúndi. Mox utrúmque per dúci imperat in théátrum, in eósque immítti duos leónes : qui prostráti ad eórum gènu, cápité et cauda ipsis blandiebántur. Ad id spe-

ctáculum cum ámplius duódecim millia hóminum convenissent, quingénti cum suis familiis christiánam religionem suscepérunt. Quibus rebus permótus prætor, eos securi percúti jussit. **Te Deum.** 18.

Ad Laudes, Aña. Vestri capílli cápitis omnes numeráti sunt : nolite timére : multis passéribus meliôres estis vos.

V. Exsultábunt.

DIE X. JUNII.

S. Margaritæ

Reginæ Scotiæ, Viduæ.
Semiduplex.

Omnia de Communi nec Virg. nec Mart. [144] præter sequentia.

Oratio.

DEus, qui beátam Margaritam reginam eximia in páuperes caritate mirábilem effecisti : da, ut ejus intercessióne et exémplo, tua in córdibus nostris caritas júgiteraugeatur. Per Dóminum.

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio íb.

Margarita, Scotórum regina, patérno Angliæ regum, matérno cæsarum sângui-

ne clarissima, illustrior adhuc fuit christiana virtute. Hæc in Hungaria nata, ubi pater tunc temporis exsulabat, post exactam summa cum pietate puerilem ætatem, una cum genitore, qui a sancto Eduardo patruo, Anglorum rege, ad patèrni regni fastigium vocabatur, in Angliam venit. Mox alternante parèntum fortuna, ex Angliæ littore solvens, vi tempestatis expulsa, seu verius divinæ providentiæ consilio deducta est in oram maritimam Scotiæ. Ibi cum ex matris impèrio Malchólmo tertio Scotorum regi, egregiis ejus dôtibus capto, nupsisset, sanctimonia ac pietatis opèribus triginta, quibus regnavit annis, toti regno mirifice profuit.

R. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: *Et deducet te mirabiliter dextera tua. **V.** Spécie tua et pulchritudine tua, intènde, prospere procede, et regna. — Et deducet.

Lectio v.

Inter regales delicias corpus afflictationibus, ac vigiliis macerans, magnam noctis partem

piis precatiõibus extrahèbat. Præter alia jejunia, quæ identidem usurpabat, integros quadraginta dies ante natalitia festa tantum cum severitate jejunare consuèvit, ut ne in gravissimis quidem dolõribus intermiserit. Divino cultui addictissima, templa plurima et cœnobia partim ex integro excitavit, partim resarcivit, et sacra supellèctili, ac largo censu ditavit. Regem conjugem ad meliorem frugem, et ad similia suis exercitationibus ópera saluberrimo exemplo traduxit, liberosque omnes tam sancte et feliciter educavit, ut eorum plerique quemadmodum et Agatha mater, et Christina soror, sanctissimam vitam genus amplèxi sint. Univeri demum regni felicitati consulens, a vitiis omnibus, quæ furtim irrepserant, populos expurgavit, eisque mores christiana pietate dignos restituit.

R. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. **V.** Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. — Propterea.

Lectio vi.

Nihil tamen æque in illa mirabile fuit, ac flagrantissima caritas erga próximos, præsertim egenos, quorum numerosis grégibus non modo stipem afflatim suppeditare, verum etiam trecèntis quotidie matèrna benignitate dapes præbere, flexis genibus in morem ancillæ ministrare, regiis manibus pedes abluerè, et pressis etiam osculis ulcera fovere, solèmnè habuit. His porro aliisque piis sumptibus non regias tantum vestes, et pretiosa monilia distraxit, sed ipsum non semel exhausit ærarium. Toleratis demum ad patientiæ miraculum acerbissimis dolõribus, animam semèstri corpore ægotatione purgatam Auctori suo quarto Idus Junii reddidit. Quo temporis momento facies ejus diuturni morbi macie ac pallore fœdata, insólita quadam venustate refloruit. Miris etiam post mortem prodigiis clara, et Clementis decimi auctoritate in Scotiæ patrõnam accepta, ubique terrarum religiosissime colitur.

R. Fallax gratia. [153]

In iij. Nocturno. Homilia. Cœlorum regnum. de Communi. [155] Vesperæ de sequenti.

DIE XI. JUNII.

S. Barnabæ
Apostoli.
Duplex majus.



Omnia de Communi Apostol. [2] præter seq.

Oratio.

DEus, qui nos beati Barnabæ Apostoli tui mèritis et intercessiõne lætificas: concede propitius, ut qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per Dòminum nostrum.